



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Hochenvvart Monasterium Monialivm Ordinis S. Benedicti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

confirmationis & communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo primo. Quinto Idus Octobris Pontificatus nostri anno octavo.

S. Serrano.

Ach de Maffeis

A de Balla panibus

Io, Vittor.

Catalogum Præpositorum Håbacensium, hætenus nulla prætermittâ indagandi diligentia, consequi non potui. Culpam an temporum iniuriâ, an verius fœcordiâ posteritatis adscribam, in medio relinquo.

**N**Etamen nihil omnino adferam; commemorabo vna cum vetustioribus nonnullis, à moderno Dn. Præposito mihi subministratis, recentiores, & quos noui ego Præpositos; viros tales, quorum memoria nulla obliuione obriui debet.

BERCHTOLDVS Truchfås de Kùllental, Decan. Cathedral. Augustan. Præpositus Håbacensis.

IOHANNES Wiltzgeförch Decretor, L. Archidiaconus Augustan. Præpos. Håbaceñ. circ. an. Dñi 1403.

LEONARDVS Gafsl Decretorum L. Archidiaconus August. an. 1452.

PETRVS Biechler Canonic. Cathedral. Augustan. sub an. 1480.

VDALRICVS Riederer, Præpos. Håbacensis an 1511.

CONRADVS Hofer Capellanus aulicus & eleemosynarius Ducum Bauar. an. 1562.

GABRIEL Lafentaler confessarius Ser<sup>m</sup>æ Princ. Annæ Alberti V. viduæ Austriæ Archduc. an. 1592.

MATTHÆVS Alchamer Ser<sup>m</sup>o Duc. Guiljelmo. à sacris, &c. an. 1595.

ALBERTVS Hungerus SS. Theolog. Doctor, Ser<sup>m</sup>orum Boiariæ Ducum Confiliarius, Academia Ingolstadien. Procancellarius, Professor primarius, Canonicus Cathedral. Eccles. Passauien. &c. an. 1602.

HENRICVS Anslaus Anglus, S. Theol. L. Ser<sup>m</sup>orum Boiariorum Ducū Guiljelmi & Maximiliani Sacellanus, Confiliarius & Canon. Ducalis Ecclesiæ Collegiatæ ad D. Virginem Monachij, præposituram adeptus an. 1604. adhuc superstes.

Heilig Berg ANDEX. Vide ibi, Andex.

HOCHENVVART MONASTERIUM  
MONIALIUM MORDINIS S. BENEDICTI.

**S**ECVNDVM Ioan. Auent. Sumuntorium vel Alta specula, celebris olim arx Comitum Andecen. & Taurensum. qui inter Halam & Oenipontē antiquitus habitantes, inde hoc Monasterium in hodiernum diem certos habet redditus, nempe ex villa Thaur. &c. Ab hac arce quoque Comites de Alta specula vel Hochenvvartenses dicti (arcem etiam Schrobenufsianam condidisse perhibentur) nunc verò Monialium Benedictinæ professionis & Augustanæ Dioc-

Kk 4

ceseos



ceseos elegans, in amœnissimoque monte ad Parrium fluuiolum situm Cœnobium, fundatum & ex arce in Oratorium, ex domo venationum & voluptatum in precationum & honestorum studiorum domum conuersum est à Rapothone, Com. de Tauris, eiusque coniuge Hemma, Austriæ Ducissa (quam Bruschius alio loco de Monasterio Thierhaupten, Com. de Tonavverd vocat, quod verisimilius est) amborumque horum honestissimorum coniugum liberis, Ortolpho & Willirude, in hoc ipso Cœnobio quiescentibus, de quibus tale ibi legitur Epigramma:

*Ortolph VViltrudis huic claustro caussa salutis.*

*Poscunt obsequia sub munere quotidiana.*

*Hemma quibus mater, Rapotho quippe pater.*

TEMPLVM Summuntorianum B. Virgini Mariæ & S. Petro Apostolorum, Principi dicatum & consecratum est, anno Domini 1074. Indictione XII. ab Imbricone Episcopo Augustano, sub Imperatore Heinrico quarto. Ortolphus Comes verus fundator interfuit expeditioni aduersus Saracenos in Iudæam, suscepta à Godefrido Bulionensi Nobilissimo, & victoriosissimo Lorharingæ Principe, quem adiuuit etiam in recuperanda terra sancta & occupandis Hierosolymis, anno Domini 1099 Idcirco insignib. priuilegiis & plurimis reliquiis (quæ certis temporib. magna veneratione in hoc Cœnobio annuatim ostendi solent) donatus est à Roman. Ecclesiæ Pontificibus. Obiit verò Ortolphus Comes in itinere, cum rediret à terra sancta, antequam patriæ appulisset, ad quam tamen mortuus reuectus, & in templo hoc Hochen vvarterensi honorificè reconditus & humatus est, prope sororem ac parentes. Post obitum fratris Ortolphi, Domina. Wiltrudis omnia bona paterna collecta piarum sororum congregationi, & incepta à parentibus ac fratre domui Dei tradidit, cuius ipsa prima legitur fuisse Gubernatrix & Abbatissa. Obiit anno 1081. ex Chron. Monast. Extat de eatale adhuc in Cœnobij monumentis epigramma:

*Quando valedixit VViltrudis in clyt a mun-*  
*Floruit hic primo per eam monasticus or-* } do

TYMVLO eiusdem primæ huius loci & fundatricis & gubernatricis tales antiquitus superadditi fuerunt versiculi, nunc omnino aboliti.

*Virgo flos florum, præclare nitens, Superiorum*

*Gemma, tibi vota persoluens concio tota*

*Per te saluari petit, & pro sine beari.*

Intelligen-  
dum cum  
grano salis.  
Nimirum  
ignis quidam  
Mediator  
redemptio-  
nis Christi  
Iesus, multis vero  
intercessio-  
ni. Et  
Et patet ex  
Veteri &  
novo Testa-  
mento.

Extat ibi totum corp<sup>9</sup> B. Virginis Richildis, ac ossa B. Iulianæ virginis, ex societate S. Vrsulæ, cum multis aliis sanctorum reliquiis, olim propter persecutionem absconditis ac quasi perditis, repertis verò postea sub Alberto, Duce Bavaricæ, tempore reformationis huius Monast. præsidente Abbatissa, Barbara Hinzenhauserin. ex Neuburgensi Monasterio huc vocata &c. Anno 1485.

FVNDATORVM bis in anno, cum diuinis officiis & distributione elemosynæ celebratur anniuersarius, similiter in die animarum anniuersaria fundata. Collatio seu ius patronatus Parochiæ in Schrobenaufen, cum duabus Missis, teloneo, tribus molendinis, iure piscandi ac decimis ibidem, ad hoc Cœnobium per-



pertinent, similiter collatio Mislarum in vico Hohenvvart, ac Ecclesia Lauterpach, vineas habet in Kelhaim parū vtilēs, & quāsdā p̄dia in Comitatu Tyr olēsi.

SEPVLTII sunt ibi nobiles Iudmañi de Arnpach, Sādicelleri ac Starzhauerij de Adlzhausē, sicut die *Doge von Arnpach* fuerūt aliquādo Aduocati huius Monasterij, nēpe Vtric⁹ Vogt, certis tamē conditionib. & modis, scilicet vt aūuatim non plus quā vñā mutam auenā, & vnum agnū acciperet, à steuris & aliis exactio-nib. abstineret, vt decisū fuerat p̄ Ruedolphū Ducē Bauariā, confirmatum per Ludouicum IV. Imperatorem, & Ludouicū Marchionem filium, anno Domini 1348. verisimile est, hos nomen ab hac Aduocatia sibi sumpsisse.

CONSECRATVM est iterum templum huius, Monasterij sub Adlhaide secūda, quā præfuit an. 1240. sub Gregorio nono Pont. & Friderico Imperatore, à Sibothone, Episcopo Augustano.

SVB gubernatione Catharinę Voglhuberin, quā an. 1571. electa, obiit an. 1545. incendio periit Cœnobium. anno 1516. per ipsam mediocriter resectum & restauratum.

ANNO 1547. in bello Germanico seu Schmalkaldico Cœnobium direptum & spoliatum est, rā ab hostibus, quā a vicinis &c. sub D. Scholastica Poppenpergerin Abbatisā &c.

ITEM an. 1569. Clinodia & reliquiā huius Monasterij nocte, fractis ferramentis Sacrarij, per aliquot sacrilegos nebulones rapta; elapsis aliquot mensibus, quādam reliquiā in dēficate quadam nemoris Hagnau prope Schrobenausen fortuito reperta, citra tamen aurum & argentum, quā sacrilegi ibidem. post raptum inter se diuiserunt; pleriq; illorum variis in locis, ac ob alia maleficia. postea capti, meritas luerunt pœnas &c.

ANNO 1572. sub Abbatisā, Barbara Brenzingerin, muliere cordata, ac ad rem domesticam attenta, ædificia Monasterij vetustate penē collapsa, incepta sunt refici, restaurari, ac quasi de nouo extrui, non sine ope Illustrissimi Principis Alberti, Ducis Bauariā ac coniugis suā &c. Quod Deus bene vertat.

### ADDITIONES.

DE *Summontorio* siue *Submontorio* Rhetia oppido, *Antonino Cæs. & Notitiar. vtr. Imp.* non incognito vide *Delineat Norici vet. Nomenclator* pag. 210.

Monasterium *Hohenvvart* incendium aliquoties passum, & tumultus bellicos, de antiquis monumentis parum aut pene nihil producere habet. Dn. Abbatisā commemorat circa monumentum fundatorum olim hos fuisse lectos versus.

*Quando valedixit VViltrudis inclyta mundo.*

*Floruit hic primo per eam Monasticus ordo.*

Bruschius in sua de Monasterijs Centur. sequentia refert: *Summontorium* vel alta specula, Germanicē *Hohenwart* / celebris olim. arx Comitum, *Taurensum* qui inter *Halam* & *Oenipontem* antiquitus habitantes, ab hac arce Comites quoque de alta specula, vel *Hohenvvartenses* dicti, arcem etiam *Schrobensianam* condidisse perhibentur. Nunc verò Monialū *Benedictinæ* profectinis & *Augustanæ* Dioceseos elegans, in amēnissimoq; monte ad *Parrium* fluuiolū situm Cœnobium fundatum & ex arce, in oratorium, domo venationum & voluptatum in. precationum & honestorum studiorum domum conuersum, est à *Rapothone* Comite de *Taufers*, eiusque coniuge *Hemma*\* *Austriæ* Ducissā, amborumque horum honestissimorum coniugum liberis *Ortolpho*

\*err. Bruschii Vid. Hund, pag.



tolpho & Willitrude, in hoc ipso Cœnobio quiescentibus, &c. vt apud Hundium.

Refert Dñ. Abbatissa ex tradit. antiq. fuisse Ortolpho & Willigiso fratrem Norpertum, Episcopum Curien. & Præpositum Augustanum; pulsum Episcopatu ab aduersariis, fundatorem collegij Hebacensis.

### Catalogus Abbatissarum.

- I. WILITRDIS *fundatrix.*
- II. LVICARDIS.
- III. HILBVRGIS siue HAILBVRGIS.
- IV. HIMELTRVDIS.
- V. HILDEGARDIS *præsuit circa an. 1180. de qua in mortilogio scriptum reperitur: depositio b. Hildegardis.*
- VI. VOTTA.
- VII. ADELHEIDIS *Vogtin, præsuit circa an. 1215. & adiumento fratris sui Gerungi Vogt fornice clausit Capellam B. virginis Richildis ac an. 1218. denuo consecrari fecit.*
- VIII. MECHTILDIS.
- IX. ALHAIDIS *præsuit Monasterio circa an. 1222. & amplius.*
- X. ADELHAIDIS II *gubernauit circ. an. 1240 sub Gregorio IX. Pont. Max. & Friderico II. Imp. sub cuius gubernatione consecratum est templum iterum à Sibothone Episcopo Augustano, qui postmodum resignato Episcopatu induit ordinem Cisterciensium in monasterio Kaulershaim.*
- XI. SOPHIA *præsuit an. 1244 sub Innocentio IV. P. Max.*
- XII. ADELHAIDIS *præs. an. 1278.*
- XIII. BENEDICTA *Brusch. Bertha.*
- XIV. BERTHA *bene præs. temporibus Dn. Friderici Episcopi Augustani circa an. 1316. sub ipsius regimine legata fuit Decima in Arefing pro subleuanda paupertate Monasterii, & anniuersario perpetuo à Dn. Adelhaide Sibenherrin.*
- XV. AGNES *Kölnerin præs. An. 1336. & ultra. Huic concessit Caf. Ludouicus Priuilegium immunitatis à Steuris, eorum donorum que aduocatum soluunt an. 1341.*
- XVI. ELISABETHA *à Starzhausen, præs. an. 1352. lis. tunc. exorta fuit super teloneo in Schrobenuhausen, & transact. littera consecra.*
- XVII. ELISABETHA *Fudmannin, præs. bene an. 1366.*
- XVIII. BERTHA II. *præsedit an. 1373.*
- XIX. AGNES II. *an. 1384.*
- XX. OSANNA *de Parsperg, præsuit ultra an. 28. ob. an. 1430. die 19. Aprilis.*
- XXI. EMILIA *de Appersperg, ob. ann. 1447. die 21. Iulij.*
- XXII. AGNES *Hörnerin, pecorum pastoris in Holzen filia, electa fuit contra uoluntatem suam, & præter spem omnium Monasterium restaurauit, diu bene & laudabiliter præs. mortua tandem an. 1468. die 25. Ianuarij.*
- XXIII. CLARA *ab Höhenkirchen, industria Abbatissa Agnetis imitatrix; construxit turrin campanarum; & campanam fieri curauit; ad cuius formam cetera omnes campanæ post conflagrationem fusa sunt. Fontem quoque in atrio Monasterii ante Abbatiam firmo & permanente opere erexit. præs. an. 15. diem sancta extremum an. 1483. die 6. Mayrelictis post se Dn. Conuentualibus subnotatis: Sophia Truckfällin, Anna Puchouerin, Anna Hinzenhauserin, Barbara Gurrin, Anna Hinzenhauserin juniore, Margareta Minhaule-*

*Varia  
Brusch. in  
ordine Ab-  
batissarū:  
sed nos de  
signatione  
ex Monas-  
terio tras-  
missam se-  
quimur.*



hauserin. Catharina Schaltdorfferin.

XXIV. VERONICA à Seckendorff postulata ex Monasterio S. Walpurgis Eychstadij, elig. an. 1483, die 22 May. pres. septimanis solummodo octodecem. desun. Et die decima tertia mensis Octobris.

XXV. BARBARA ab Hinzenhausen, postulata è Monasterio Neuburgen, ad Danubium circa an. Dni 1483, presuit laudabiliter an. 6 mens. totidem. sub cuius electionem ad Abbatiam reformatum fuit per R<sup>mos</sup>. Dn<sup>os</sup>. Andream Abbatem montis sancti Andex, & Dn. Georgium Abbatem in Scheyrn, moderante Bauariam Duce Alberto IV sub Episcopo Augustano Ioanne, Comite Württemberg.

Diu latuerant reliquia SS. in hoc Monasterio asseruata qua reperta publicè ostentari ceperunt an. 1485, Ipsa Abbatisa diè supremum clausit, 18 Februarij an. 1490.

XXVI. KVNIGVNDIS Böcklin, ex nobili familia orta, similiter ex Neuburgè. Monasterio ad Abbatiam fuit vocata, presuit an. 21 & propter grauem infirmitatem resignauit an. 1511. superuixit q<sup>ue</sup> an. nouem.

XXVII. CATHARINA Voglhütterin, ex oppido Kütz pühel oriunda eligitur anno 1511. gubernauit an. 34. an. 1516. in festo S. Urbani tacta fuit fulmine turris campanarum totumque testum conflagrauit & similia damna quoq<sup>ue</sup> aliàs sensit, mortua est an. 1545. in festo S. Matthiæ Apostoli.

XXVIII. SCHOLASTICA à Pappenperg pulsa Monasterio Bergensi facta est Abbatisa in Hohenvvart, an. 1545. mense Martio. Presuit quidem utiliter & cum laude: sed in bello Smalcaldico Monasterium à Schertelho & suis complicib. multa damna accepit, sed & ciues quoq<sup>ue</sup> in uico Hohenvvart, varias Abbatissæ suisq<sup>ue</sup> calamitates intulerunt ob. Abbatis. an. 1563. die 26 Martij.

XXIX. CORDVLA Burckhartin. & ipsa Monasterio Bergen. pulsa. successit Dn. Scholasticæ femina fuit pia imprimis ac deuota que in iuuetute sua, postquã ex monasterio Bergen, Hohenvvartum concesserat, Cœnobio multis modis utilis fuit. Altare in Choro siue summum. propria manu pinxit: elegantes cantionum libros scripsit \* cum imaginibus per pulchris artificiose acu pinxit &. Ipsa vendidit bona Monasterij sita in Taufers, & viciniora in his partib. ppter sumptus in bello erogandos oppignorata redemit. presuit ob grandioretem atatem annis duntaxat quinq<sup>ue</sup>. obiit mortem. an. 1568. undecima die May.

\* Nachs  
mãnt.

XXX. BARBARA Prenzingerin, Conuentualis in Hohenvvart, eligitur die 3. Iunij. an. 1568. confirmata iureq<sup>ue</sup> merito altera fundatrix indigitatur: cultum diuinum mire auxit nouum conuentum plantauit, prudens. femina & rei familiaris experientissima, lites contra ciues uici in H obtinuit; & procurato egregie Monasterij commodo obiit die 7. Nouembr. an. 1590. relicto magno sui desiderio.

\* quamuis  
multa ma-  
gnaq<sup>ue</sup> ca-  
lamitates  
endiq<sup>ue</sup> in-  
grauerent,  
nihil mi-  
nus tamen.

XXXI. ANNA Mandtlacherin, unanimi totius Conuentus voce eligitur die 3. Decembr. an. 1590. presuit benè utiliter annis fere 23. An. 1591. altera facta est reformatio Monasterij per Illustrissim. & Reuerendis. Dn. Ioannis Ottonis Episcopi Augustani Vicarium generalem, Dn. Hieronymum Stor ab Osttorach, an. 1598. aqua ductus ad Monasterium & loca alia confecti fuerunt ope & auxilio Generosæ Dn. Annæ Fuggerin, Baronissæ, ex familia Hslingorum de Trazberg.

hydraulic  
opus in Mo-  
nasterio &  
locis alijs  
paratum.

Græues sanè easque graues calamitates sub regimine huius Abbatisæ Monasterio acciderunt, quas tamen omnes Deo opitulante, industria & dili-



diligenti administratione sua superauit. Denascitur denique an. 1613 die 4. Martij sepulta in templo ante altare S. Annæ.

### Sancti Iacobi Scotorum Ratisponæ.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter. Amen. *Sigismundus* Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac *Vngaria*, *Bohemia*, *Dalmatia*, *Croatia*, &c. Rex, ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc summi dispensatione consilij Imperialis & regij fastigij obtinuimus dignitatem, ad hoc sacri Romani Imperij suscepimus diadema, vt si ad alia extrinseca debita sollicitudo nos prouocer, ad ea tamen quæ statum felicem, & quietem ad incrementum iurium, gratiarum & libertatum personarum religiosarum respiciunt, tanto intendamus vberius, quanto nostrum præ ceteris mundi Principibus solum magnificentius erexit cælestis prouidentia creatoris. Sanè pro parte religiosorum Abbatis, Prioris & Conuentus Monasterij *Scotorum* & *Tbernicorum* de maiori *Scotia*, in *Ratisbona*, deuotorum nostrorum, oblata nostræ celsitudini simplex petitio continebat, Quatenus ipsis & eorum Monasterio, de innata nobis pietate, & solita clementia vniuersa & singula Priuilegia, iura, litteras, indulta, libertates, immunitates, gratias, donationes & concessiones, eis & eorum Monasterio, à diuis quondam Romanorum Imperatoribus & Regibus, nostris prædecessoribus, data & concessa, ac datas & concessas, & signanter priuilegium, quoddam, à diuæ memoriæ *Friderico* quondam Romanorum Rege, prædecessore nostro sibi collatum & concessum, innouare, approbare, ratificare, ac confirmare gratiosius dignaremur. Cuius quidem Priuilegii tenor sequitur per omnia in hæc verba: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Fridericus* secundus diuina fauente clementia *Romanorum* Rex & semper Augustus, & Rex *Sicilie*. Si viris religiosi fauoris & munificentie gratiam impenderimus, temporalium & æternorum bonorum retributionem indubitanter consecuturos esse speramus. Quapropter notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quàm presentibus, qualiter Monasterium *Scotorum Ratisbonæ* ante portam occidentalem constructum, nec non & Ecclesiam iu *VVihn S. Petri* vulgo dictam, in Orientali eiusdem ciuitatis suburbio portam, ad idem Monasterium *S. Iacobi Scotorum* attinentem, secundum tenorem firmæ libertatis Priuilegiorum antecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum & Regum *Henrici* tertij, *Henrici* quarti, & *Lotharij*, & *Friderici*, ob honorem & venerationem beatorum Apostolorum *Petri* ac *Iacobi* rogatu *Matthæi* Abbatis & fratrum eiusdem Monasterij atque fratrum Ecclesiæ sancti *Petri*, supplicatione, quæ *Scotis* Monasterij *S. Iacobi* subdita esse probatur, cum omnibus bonis & possessionibus, quas modo habent rationabiliter, & quas in posterum specialibus nominibus designabimus aut in futurum iustis modis sunt habituri, in *Muntiburdiu* defensionis nostræ suscepimus, eo scilicet tenore, vt sicut constitutum est à supradictis Imperatoribus, idem Monasterium sancti *Iacobi*, ac Ecclesia sancti *Petri* nec non ea bona sibi attinentia, ac ibidem solummodo *Scoti* inhabitantes, & nulli alij perpetuam habeant libertatem, nec ab aliqua persona, magna vel parua grauentur, nec quidquam seruitij, nisi soli Deo & sanctis eius reddere cogantur, neque aliqua persona maior vel minor, in eos, aut in bona eorum, qualemcunque dominationem habeant, præter nos, & successores nostros Reges vel Imperatores, sed securi maneant absque omni eiectione vel perturbatione, orantes pro se, & pro statu Imperij, ac totius Ecclesiæ salute. Nomina autem possessionum hæc sunt: *Manspach* / *Ealtenberg* / *Tegernheim* / *Gundolsingen* / cum piscaturis

*Neu*